



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sancti Bonaventurae Episcopi Cardinalis Albanensis,
Seraph. Doctoris Ecclesiae, Speculum Disciplinae, Et
Profectus Religiosorum: Libelli ad pietatem vtilissimi**

**Bernardus <de Bessa>
Bonaventura <Heiliger>**

Antverpiæ, 1591

De dilectione proximi. Cap. XXVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53148](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53148)

ipsum quem amant suscipiunt Dominum Iesum Christum. Item spiritualis fructus multiplicatione, in quo & animarum profectum & Dei honorem sentientes, exilij sui molestias tolerabilius sustinent spe lucrorum Dei. Vnde sponsa dicit adolescentulis: Fulcite me floribus, scilicet nouæ conuersationis bonæ: stipante me malis, id est, proficientibus, ad perfectionem tendentibus: quia amore languet, desidero dissolui, & esse cum sponso: vt quàm diu ad hoc differor, saltem cõsoler conuersione peccatorum & profectu bonorum: & ira meum exilium erit mihi tolerabilius, si videro alius esse fructuosum: vt si tardiùs ad sponsum veniam, tamẽ plures mecum ducam. Sic & Paulus coarctatus inter desiderium dissoluendi, & profectum subditorum, consolabatur se interim ex eorum profectu, de sua dilatione à regno.

Gen. 2, 5

Phil. 1, 23

De dilectione proximi.

CAP. XXVI.

Quomodo proximus diligendus.

1. Ioan. 4, 21.

DILECTIO proximi ex dilectione Dei nascitur: quia propter Deum & in Deo & secundum Deum est proximus diligendus. Propter Deum: quia ipse mandauit. Ioan. Hoc mandatũ habemus à Deo, vt qui diligit Deũ, diligit & fratrem suum. In Deo, id est, ea affectione diligere debet proximum qua Deum, id est, ea forma. Secundum Deum, id est, ad hoc diligere debemus proximum, ad quod nos diligit Deus, id est, ad salutem animæ & profectum in spiritu, hoc est verè & purè & ordinatè diligere. Verè & non fictè, sicut illi qui verbo tantum & lingua diligunt, non opere & veritate. Purè & non ex carnali affectione, non pro vtilitate propria, non ex carnali affectione & c.

& seculari societate tantum: quæ & si non sint semper mala, tamen non sunt meritoria, nisi ex spiritali dilectione accipiant condimentum. Ordinatè, ut non ad vitia & commoda carnis & temporalem prosperitatem, sed ad æternam salutem. Vnde notandum, quòd est dilectio carnalis, & dilectio cupiditatis, & dilectio naturalis & socialis, & est dilectio spiritalis. Carnalis est, quæ carnalibus nutritur: ut inter virum & feminam in copula carnali. Cupiditatis, ut qui diligit pro muneribus: sicut & canis diligit eum qui dat ei cibum. Naturalis, hæc est inter cognatos, & propinquos sanguine vel patria. Hac etiam dilectione diligimus illa, quæ natura magis venustavit; ut pulchros homines & alia naturaliter delectabilia, & etiam illa quæ naturæ nostræ sunt aliquo modo similia: sicut cum è duobus æquè ignotis vni magis inhæret affectus, quia fortè nobis similiior est in natura. *Eccli. 13, 19* Omne animal diligit suum simile, &c. sic & omnis homo proximum suum. Ista sicut à bonis & à malis & etiam à brutis habetur, ita bona & mala esse potest, licet originem trahat à natura quæ bona est in se. Vnde in necessitate plus tenemur ex iure naturali propinquiõribus, quàm extraneis subuenire. Socialis est, qua notos & familiares & contubernales magis diligimus, quàm ignotos & alienos. Ista similiter per se indifferens est: quia & bonos & malos videmus eam habere; boni ad bonum, mali verò ad malum illam conuertunt, fauendo sociis ad quæ volunt.

S De-